



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XXXII. De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

C A P U T    XXXII.

*De abnegatione sui, & abdicatione  
omnis cupiditatis.*

I. **F**ili non potes perfectam posside-  
re libertatem, nisi totaliter ab-  
neges temetipsum.

Compediti sunt omnes proprieta-  
tum, & sui ipsius amatores, cupidi,  
curiosi, gyrovagi, querentes sem-  
per mollia, non quae Jesu Christi,  
sed hoc saepe fingentes & compo-  
nentes, quod non stabit.

Peribit enim totum, quod non est  
ex Deo ortum.

Tene breve & consummatum ver-  
bum: Dimitte omnia, & invenies  
omnia, relinque cupiditatem, & re-  
peries quietem.

Hoc mente pertracta: & cum im-  
pleveris, intelligis omnia.

2. Domine, hoc non est opus  
unius diei, nec ludus parvulorum:  
imo in hoc brevi includitur omnis  
perfectio Religiosorum.

N 6

Fili,

CA

Fili, non debes averti, nec tim  
tim dejici, audita via perfectorum  
sed magis ad sublimiora provocari,  
& ad minus ad hæc ex desiderio su-  
spirare.

Utinam sic tecum esset, & ad hoc  
pervenisses, ut tui ipsius amator non  
esses, sed ad nutum meum pure stu-  
res, & ejus, quam tibi proposui  
Patris, tunc mihi valde placeres, &  
tota vita tua in gaudio & pace tran-  
siret.

Adhuc multa habes ad relinquendu-  
m: quæ nisi mihi ex integro re-  
signaveris, non acquires, quod po-  
stulas.

Suadeo tibi emere a me aurum  
ignitum, ut locuples fias, id est  
cœlestem sapientiam omnia infusa  
concilcantem.

Postpone terrenam sapientiam, &  
complacentiam.

3. Dixi, viliora tibi emenda pro-  
pretiosis & altis in rebus humanis.

Nam valde vialis & parva, ac pa-

ne obliuioni tradita videtur vera  
cœlestis sapientia: non sapiens alta  
de se, nec magnificari quærens in  
terra; quam multi ore tenus prædi-  
cant, sed vita longe dissentiant: ipsa  
tamen est pretiosa margarita, a mul-  
tis abscondita.

## CAPUT XXXIII.

*De instabilitate cordis, & de intentione finali ad Deum habenda.*

I. Fili, noli credere affectui tuo:  
qui nunc est, cito mutatur in  
aliud.

Quamdiu vixeris, mutabilitati subjectus es, etiam nolens, ut modo lætus, modo tristis, modo pacatus, modo turbatus; nunc devotus, nunc indevotus; nunc studiosus, nunc acediosus; nunc gravis, nunc levis inveniaris.

Sed stat super hæc mutabilia sapiens, & bene doctus in spiritu: non attendens, quid in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilita-

N 7 tis,